GENEROSISSIMO AC NOBILISSIMO VIRO DOMINO DOM. CAROLO DE NEVFVILLE BARONI D'ALINCOVRT, VTRIVSQVE ORDINIS REGII EQVITI TORQVATO, CENTVM CATAPHRACTORVM DVCI STRENVISSIMO, LVGDVNENSIVM GVBERNATORI AC Pontesiorum vsufructuario D. &c. humillimus GVILLELMVS GERBAVLT. ὑγιαίνειν.

LICEAT-NE *mihi plebeio, & obscuro tantæ dignitatis numen affari & scholastica tabella salutare? equidem præ tuæ virtutis ac generositatis splendore (Eques Generosissime) hebescit oculorum acies, vt vix in te firmiores obtutus possim, ausimue dirigere, qui ad decus & gloriam, natus, altus, educatus, omnia supra hominem, & mediteris, & moliaris, & facias: Credo quod non possis, nec debeas* περὶ τὰ αὐτοκάβδαλα, *ad leuia impolitaque animum & mentem deprimere Præteritorum seculorum memoriam repetens, cum populi, velut œstro perciti, in mutuam præcipites ferebantur perniciem, & Symplegadum instar inter sese excurrebant: atque subinde cogitans, quanta animi magnitudine vrbem nostram Pontesiam, suis penè conuulsam sedibus, tanquam alter Asclepiades, ab ingruentibus bellorum tempestatibus vindicaueris; Non possum te non mirari, & velut ad Dei cuiuspiam auxiliaris adspectum obstupescere. Sed enituit ille in bello, & obsolenit in pace: immo vero* CAROLVS NEVFVILLEVS, *in pace nouis cottidie munerum auctibus succrescens; præclara virtutis suæ dedit testimonia: Quippe apud Serenissimam Reginam* MARIAM MEDICEAM *velut Mercurius, diuinum Regij thalami nuntiũ primum detulit. Et apud Pontificem Maximum Prorex, & Sacrosanctus legatus extitit: tum demum Lugdunensibus Præpositus, & à Rege fælicis memoriæ* HENRICO *quater Maximo, nouis honorũ auctoramentis donatus, ostendit præstanti ingentique virtuti, nihil tandem, neque ad dignitatem neque ad gloriam deesse posse. Hinc speramus serenioris cœli vim beneficam, fœcundos satus, & adhuc consilij tui quasi optimi latifundij fructus percepturos, & vrbem nostram, semper etiam beneficentia & conseruatione tuam, salubri apricatione apud regem recepturam, eò facilius, quò excelsius, veluti ex propinquiore Sole nitescis. Eia age (Vir generosissime) tantisper animum à rebus serijs auoca: & vt quondam ad Caietam, Scipio, & Lælius conchas & quisquilias lege medicorum theorematum, nec mireris si te potissimum fidelissimum Pontesiæ protectorem, Dominum, columen, Præsidium, Pontesius ego ausim percontari, maximè cum lubens me impulerit tua benignitas, qua nos omnes, domum nostram complexus es & excepisti: offero ergo studiorum Medicinæ facultatis primitias nouas cœlo ac sole Nouo exortas, quas tibi in perpetuæ obseruantiæ publicum testimonium sedulo collegi, ac studiosè apparaui.* VALE.

QVAESTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS EXCVTIENDA in Scholis Medicorum Parisiensium, Die Iouis 20. Ianuarij. M. Symphoriano Haultin Doctore Medico moderatore prudentissimo.

An partium principum Syntimoria?

NATVRÆ viuentis & corporeæ Δημιούργημα humanum corpus, immortalis animæ mortale domicilium, omniumq; illius functionum commune instrumentum, è primis illis mixtorum omnium seminibus confusâ virtute temperatis oriundum, igne scilicet primo calido, aëre primo humido, aqua primo frigido, terra primo sicco, duo suæ generationis proxima principia sortitur, semen & maternum sanguinem; è quibus partes diuersi generis & conditionis, variâq; structurâ, ac figurâ multiplici conformatæ exoriuntur. Harum enim aliæ similares, aliæ dissimilares seu organicæ dicuntur. Similarium quædam sunt spermaticæ frigidæ, quædam carnosæ calidæ. Organicarum tres principes ad vitam necessariæ, cerebrum, cor, hepar, mutuâ conspiratione connexæ, corporis totius œconomiam regentes, dum facultatem, aut spiritum, aut materiam per illud diffundunt: ignobiliores cæteræ ipsis subseruiunt & ancillantur.

HEPAR exortu primum & primæ facultatis sedes, sanguinis & cæterorum humorum officina, necnon spiritus naturalis architectus, qui verius est τῆς τροφῆς ὄχημα quam serum, principium καὶ ῥίζωσις venarum, per quas cõfectum ex chylo sanguinem futurum partibus omnibus alimentum distribuit, vitali spiritui materiam suggerit, vt etiam generationis organis, triplicis deniq; substantiæ iacturam resarcit, in ægris autem cæteras partes languidas excitat, aut si prauè sit affectum in sui consensum adducit.

VENTRICVLVS (cuius segnities omnium confusio vasorumq; impuritas) tanquam famulus hepati cibum subministrat: vt enim primæ coctionis officina, sic secundæ materiã cõfert, quam in intestina deponit: sed tenuior portio cremori persimilis, à venis Mesenterij sugitur & ad hepar transmittitur, easdem ad intestinorum nutritionem reuehere sanguinẽ simul & vno eodemq; tẽpore nihil prohibet, sed vt sanguis purior & illustrior reddatur, Lien fœculẽtis sordibus, & crassâ illuuie ipsum hepar repurgat. Cystis bilem sincerã, amicam sibi, intestinis vtilem allicit, alioquin Ictero partes omnes infecturam: ambo renes muneris socij, serum communem sudoris & vrinæ materiam vndiquaque trahunt, & in substratam vesicam effundunt continendam ab eâ, donec voluntatis imperio foras extrudatur.

COR viscerum calidissimum, sedes facultatis vitalis, spiritus & caloris fons, vim Iecoris illustrat, Cerebro per carotidas materiã largitur, ex quâ profertur spiritus animalis omnium subtilissimus, partes omnes ad agẽdum impellit, fixum calorem tuetur, adeoq; tantæ est necessitatis ad vitam, vt pars nulla citra eius radium quicquam possit efficere. Ad huius refrigerationem & tutelam pulmo conditus est calidus humidus, respirationis nunquam à vitâ separandæ instrumentum, haustum aërem excipit, quem cordi præparat, & suggerit, vt ex eo calor natiuus temperetur, & vitalis spiritus tanquam pabulo foueatur, cui muneri leuis & rara eius substantia apta est, tenui sanguine idcirco reparanda.

CEREBRVM ortu postremum, in homine amplissimum, in editissimo loco oculorum gratiâ situm, duplici meninge circumtectum substantia molli alba & medullari temperie frigidum & humidum, facultatum animalium sedes, ac principium neruorum, quibus, cæteris partibus consentit, fauet, ac connectitur mutuamq; confert operam: Thoraci enim & pulmonibus motum confert, cordis ardorem temperat, ventriculum ad ciborum appetitionem inuitat, sensorijs verò omnibus imperat, denique eorumdem neruorum ministerio facultas animalis cum spiritu quoquouersum diffunditur ac transmittitur.

F.H.P. BIBLIOTHEQUE

Ergo partium principum Syntimoria.

Asserebat LVTETIÆ GVILLELMVS GERBAVLT, è Vellocasi Galliæ Pontesianus, Anno Domini 1611.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Gabriel Biart.
M. Ioannes Desgorris.
M. Renatus Chartier Med. Reg.
M. Franciscus Placet.
M. Andreas du Chemin.
M. Georgius Arbaud.
M. Petrus Seguin prof. Regius.
M. Ioannes de Renou.
M. Petrus Pijart.